

ces. Quod verbum altius intelligitur, ab his qui ex altissimo dignitatis ac potentia folio, vbi firmiter state videbantur, repente corruerunt. Id cum in multis sæpe, tum clarissimè in Cræso Lydorum Rege, vbi hoc dictum à Solone tradit Herodotus, apparuit. Hunc enim potentissimum suæ ætatis, Solon vt longæ vitæ finem respiceret, monuit, nec prius intellexit, quam à Cyro Persarum Rege breui post victus flammisque traditus, in mediaque iam morte Solonem verum vatem exclamauit: quod admirans Cyrus, auferri tantisper supplicium imperauit, donec quid ille vociferaretur agnosceret, & adiuuit repentinus imber, qui impetum flammisque compescuit: Re autem intellecta, fortunæ vim reputans, & statim hostis miseratus, vitam sibi, sed sine Regno, & vt quidam adijciunt, sine libertate restituit. Rectè igitur dici potest, quod de mortali fœlicitate sola mors iudicat. Quamobrem breuibus quidem inclusum, sed latè patens salutare consilium Solonis vni datum, ab omnibus obseruandum, qui vel sunt vel fieri cupiunt sapientes. Non solum si propter fœlicitatis, de qua diximus iudicium, quod ita Solonem

lonem